

Petrus de Vinea

*Ep. VI 9 (Regnantibus nobis
feliciter et triumphantibus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. VI 9 (Regnantibus nobis
feliciter et triumphantibus...)*

1254

Priuilegium concessum de constructione Aquilae.

1. Regnantibus nobis feliciter et triumphantibus ac uictoriose degentibus in hereditario regno nostro Syciliae, illud occurrit precipue prouida deliberatione pensandum, qualiter utrumque tempus, pacis uidelicet et bellorum, sub ditione nostrae potentiae salubriter dirigatur, et quod, subactis iam undique rebellionis obstaculis, id bellico sudore quesiuimus, in statu pacifico gubernemus; amatoresque pacis, sub umbra alarum nostrarum uiuere cupientes, foueamus salubriter, et nostrae potentiae dextera protegamus, et eis nostrae potentiae dexteram porrigamus; ac gladius noster, quem ad uindictam malefactorum et laudem bonorum suscepimus, in facinorosos sic seuiat, quod innoxios tueatur. 2. Hac itaque consideratione commoti, confinia Regni nostri et maxime circa partes Aprucii, unde uelut per expositum intransitibus ostium ad pomerii nostri delicias aggressus hostibus sepe iam patuit, et partes intrinsecas manus interdum predonica uiolauit, taliter prouidimus ordinanda, ut in partibus illis, plantatione fidelium propagata, quod per eam proditoribus nostris et rebellibus pro tempore insultantibus ex aduerso malefaciendi aditus precludatur, et aliis, quorum uita et salus a celsitudine nostra dependent, quies et pax perpetua preparentur. 3. Volentes igitur illuc salubribus occurrere remediis, unde morbus interdum obrepere consueuit, dum ex preteritis etiam experta condicio magistram se nobis exhibeat futurorum, prouida nuper consideratione prouidimus, ut in loco, qui dicitur Aquila, inter Furconem et Amiternum, de circumadiacentibus castris et etiam terris, quae uelut in membra dispersa quantacumque fidei claritate

uigentia nec nostrorum rebellium poterant repugnare conatibus, nec inter se sibi mutuis auxiliis subuenire, unius corporis ciuitas construatur; quam ab ipsius loci uocabulo, et a uictricibus signorum nostrorum auspiciis, Aquilae nomine decreuimus et titulandam.

4. Ex quo illud precipue nobis honoris et commodi prouenturum credimus, quod, dum proinde sicut unum ex pluribus sicut totum ex partibus componatur, quasi in eis dilectionis nouae concordia, per quam et rerum noua primordia et totius mundi elementa creuerunt, libentius poterunt ciuitatis eiusdem incolae uiolentis insultibus emulorum, nostra seruitia prosequendo, resistere, quibus ipsos hactenus acquiescere forsitan oportebat inuitos.

5. Vt igitur tam nobile opus manuumstrarum speciali nostrae munificentiae gratia se gaudeat insignitum, ciuitatem ipsam infrascriptis finibus, uidelicet a Rivo Putridi et cetera usque per totum Amiternum, duximus limitandam: publicantes ad situm et districtum ipsius ciuitatis, et opus uniuersitatis eiusdem, colles omnes, qui Aquila nuncupantur, et terras omnes circumquaque iacentes: exceptis ... et ..., quas dicti fideles nostri habere noscuntur ad presens, uel habituri sunt in antea, de stallis et recompensationibus uasallorum suorum, quos ibidem hactenus habuerunt.

6. Decernentes etiam et publicantes ad opus uniuersitatis ipsius siluas omnes et nemora terrarum omnium existentium infra limites supradictos; ac ad opus omnium, qui ad eiusdem ciuitatis uenient incolatum, et liberam potestatem et licentiam concedentes uniuersitati ciuitatis eiusdem, ut loca pro casalibus et collibus ipsis infra et extra menia ciuitatis et terras alias, uendere, locare et gratis concedere personis quibuscumque, quibus uoluerint, libere ualeant, pro suae libito uoluntatis: quae in

ius et proprietatem recipientium cedere uolumus et iubemus. 7. Eximimus quoque de plenitudine potestatis nostrae, de speciali gratia et ex certa licentia nostra, uniuersos et singulos milites, populares omnes infra fines predictos contentos, cuiuscumque professionis uel condicionis existant, heredes et successores eorum cum omnibus suis pertinenciis in perpetuum ab omni dominio, iurisdictione seu condicione comitum uel aliarum quarumlibet personarum; liberantes eos penitus ab omnibus personalibus et realibus seruitiis ac prestationibus, quibuscumque personis generaliter seu specialiter teneantur et sint de iure uel de facto aliqua consuetudine obligati; et absoluentes eosdem ab omni fidelitate uasallagii seu homagii iuramento, quod de mandato predecessorum nostrorum uel ac nostro uel sine mandato predictis dominis eorum hactenus prestiterunt; non obstantibus priuilegiis predecessorum uel nostris indultis dominis eorundem, quae contra huiusmodi gratiae nostrae formam uires uolumus non habere. 8. Predictos quoque homines contentos infra fines predictos cum omnibus bonis eorum ad dominium et ad manus nostras recipimus et tam eos et heredes suosque successores quam ciuitatem eandem promittimus in speciali nostro et heredum nostrorum dominio et demanio tamquam specialem Cameram retinere; sub dominio predictorum comitum uel aliarum quarumlibet personarum generaliter uel particulariter nullo umquam tempore reducendos, castris et edificiis contentis infra fines superius designatos infra duos menses ab ingressu ciuitatis eiusdem funditus diruendis ac in posterum nullatenus reparandis. 9. Illis dumtaxat exceptis, quae pro curia nostra uolumus custodiri: excepto castro ..., quod de... et eius heredibus

reseruamus, statuentes, ut ciuitas ipsa et omnes et singuli habitatores ipsius et tota posteritas eorumdem omnibus bonis usibus, sicut aliae ciuitates fidelium, demanii regni nostri propterea de cetero gaudeant et utantur, et ut ciuitas ipsa bonis habitatoribus de bono in melius ampliatur. 10. Presenti priuilegio indulgemus eisdem, ut, quicumque de extraneis partibus nostrorum fidelium, exceptis ... et... ciuitatis eiusdem, elegerint, incolatum illuc salubriter ueniant et secure morentur cum aliis predictae terrae ciuib; priuilegio gauisuri, abinde per nos et successores nostros nullo umquam tempore reuocando. 11. Ad decorem etiam et continua incrementa ciuitatis ipsius concedimus, ut ciuitas ipsa secundum uniuersitatis eiusdem dispositionem ad sui cautelam murorum ambitu ualeat communiri, et interius ex nunc domorum edificiis decorari: quae tamen quinque cannarum altitudinem non excedant. 12. In qua etiam fiant generales nundinae bis in anno, per uiginti dies, uice qualibet duraturae, et particulare forum ter in ebdomada libere ualeant celebrare, ad quorum commercia uniuersi et singuli, de quibuscumque partibus cum mercimoniis et rebus eorum sub protectione nostri culminis secure ueniant et morentur, et ad propria reuertantur. 13. Ne igitur ex hac salubri ordinatione nostra, quam pro generali bono et commodo Regni nostri nuper edidimus, fideles nostri quondam domini ... militum et hominum predictorum lesos seu dampnificatos se in subtractione suorum iurium conqueri merito possint, de uoluntate hominum eorumdem inuiolabiter statuimus et mandamus, ut pro recompensatione, quae dudum ab ipsis prefatis dominis debebantur, octauam partem tantum bonorum stabilium singuli homines singulis quondam dominis suis in uno loco conferant et assignent:

octauis ipsis postmodum taliter inter dominos, quos uoluerint, et ipsos homines permutandis, quod de ualore octauarum partium, in tribus vel quattuor locis ad plus in territorio uidelicet castri cuiuslibet, in locis melioribus et mediocribus, predictis dominis integre satisfiat: ecclesiis et religiosis locis in honore militum habentibus bona sua ad huius collationem bonorum dominis facienda prorsus exceptis: quos libertatibus et exemptionibus omnibus, quae superius exprimuntur, uti uolumus et gaudere. 14. De seruitiis autem, quae a predictis hactenus debebantur, super hoc precipimus observari, ut in castro quolibet per uiros idoneos, diligenti inquisitione premissa, tantum singuli singulis dominis pro redemptione bonorum suorum in pecunia uel rebus aliis simul et semel exoluant, quatenus debita et huiusmodi redditus usque ad annos uiginti ualere constabit. 15. Nos autem, qui super hoc priuatorum iura illesa seruamus, nolentes fisci nostri compendia sub silentio preterire, presenti priuilegio declaramus, quod in ciuitate predicta habere uolumus castrum unum, uniuersitatis eiusdem sumptibus construendum. 16. Si quis uero sanctioni nostrae huiusmodi ausu temerario presumpserit contraire, preter indignationem nostri culminis, quam se nouerit incursum, centum librarum auri puri fisco nostro componat, medietate ipsarum curiae nostrae, reliqua medietate passo iniuriam applicanda.